



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae

In Qvinqve Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

Wion, Arnold

Venetiis, 1595

Cardinales, & Episcopi Ordinis Mo[n]tis Oliueti. cap. LXVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38372

data regula traderet. Factumque est dum in Italiam redirent, apparuit Episcopo Beata Dei Mater, Angelorum choro stipata, quæ ei viros illos commendans, candidum insuper habitum, & Regulam Sancti P. N. Benedicti porrigeret, qua deinceps uterentur. Cuius rei monumentum hodie quoque extare dicitur Aretii, in templo Sancti Trinitatis, parietibus pictum, quo in templo & uestis & regula illa ab Episcopo eis rite tradita est per manus Religiosi uiri Ioannis Monachi Camaldulensis Abbatia de Saxo Aretina Diæcesis, die Sanctæ Agnetis Virginis & martyris, qui propterea quotannis Montoluetanis Monachis celebris existit, anno Domini circiter 1320. Et sic nouellus & pusillus Ordo, a Monte Oliueti nomen retinens & paulatim Sanctitate & fama crescens, a sede demum Apostolica Gregorio Papa XII. sedente circa annum Domini 1372. approbatus, per multas Italiae ciuitates radices suæ propaggines emisit.

Cardinales, & Episcopi Ordinis Montis Oliueti.

Cap. LXVIII.



RATER Georgius Martinusius, Hungarus, Monachus Monasterij S. Pauli non longè a Buda in Hungaria, & Episcopus Varadini S. R. E. Presbyter Cardinalis, creatus a Iulio Papa III. in secunda unius Cardinalis creatione anni 1551. Pontificatus secundo, quarto Idus Octobris Romæ: occisus est in Hungaria à Sfortia Palauicino eodem anno, decimosexto calendas Ianuarij, ibiq; sepultus.

ANNOTATIO.

Scribitur à Panuino in utroque epitome fuisse Ordinis Eremitarum S. Pauli primi Eremitæ, qui Ordo, ut recentioribus placet, militare dicitur sub Regula S. Augustini, ut Trittemio uerò, li. 1. c. 3. de uir. ill. Ord. S. Ben. sub auspicijs eiusdem Patris nostri Benedicti: Ab ambobus tamen erratum est in æquinoco. Cum enim à Serenissimo Matthia Hungaria Rege, quædam Monasteria Patribus montis Oliueti data fuissent, inter quæ primū & præcipuum fuit Monasterium S. Pauli, in quo hic Georgius monachum egit, putauit ideo Panuinus Georgium Ordinis Eremitarum S. Pauli primi Eremitæ fuisse, quod fortè alia Monasteria eiusdem nominis non nosset: & hac item ratione arbitror Trittemium quoque nostrum hallucinatum, ut dixerit eius Ordinis Religiosos sub Regula S. P. N. Benedicti mi-

G 3 litare,

litare, quod tamen cum ex historicorum fidedignorum sententia, tum etiam ex Constitutionibus eorundem RR. PP. qui etiamnum Romæ habitant, hæc eius opinio abundè refellatur. Fuit igitur Georgius noster Monachus Monasterii S. Pauli iuxta Budam in Hungaria, Ordinis montis Oliueti, ut reculerunt mihi eiusdem Ordinis PP. RR. à quibus hæc accepi cum essem Verona in Monasterio S. Mariæ de Organo: quorum etiam opinio confirmatur à Petro Bugiano in histor. Monast. colloquio, siue diarii secundo.

De Sanctis Ordinis Montis Oliueti. Cap. LXIX.

SANCTA Francisca Romana Pauli Bussæ, & Iacobellæ Rostandescha filia, in iuuentutis flore a Patre uiro coniuncta, postmodum anno circiter ætatis suæ 52. vidua relicta, statim Sancto Benedicto in Monasterio Turris speculorum Romæ sub protectione RR. PP. Ordinis Montis Oliueti, nomen dedit: ubi in Orationibus & vigilijs perseverans, sanctitate & miraculis clara, anno Christi 1440. die undecimo Martij, ætatis suæ 56. migravit ad Sponsum. Sepulta iacet in Monasterio S. Mariæ Nouæ, Patrum Ordinis Montis Oliueti, non longe ab antiquo Pacis templo.

De Scriptoribus Ecclesiasticis Ordinis Montis Oliueti. Cap. LXX.

DOMNVS Barnabas Riccobonus Abbas Oliuetanus, qui etiamnum adhuc ut puto uiuit, scripsit Disputationes tres,

De suprema omnium natura diuina.	} Impressæ Patavij apud Laurentium Pasquatium anno 1593. in quarto.
De felicitate.	
De sententiarum communicatione, & variarum opinionum cognitione.	

Domnus Marius Equinolus, Monachus Oliuetanus, qui floruit hoc nostro tempore scripsit, Vnde antiquorum latria, & uera catholica religio incrementum sumpserint, lib. 1. excusum Monachij anno 1584. in quarto.

Oratio-